



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

1. Landati Principis officium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Quin lanient mundum. Tanta est discordia fratrum.

Obsistit tamen illis Hippotades, & imperio continet ac compescit, non minis tantum ostentatis, & objectis postibus: sed verbis etiam placidioribus, & ad mitigandum aptis. Hinc Maro. 1. *Aeneid.*

----- mollitque animos, & temperat iras.

Idem de eodem canit: quod

Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

## Ethica.

I. (a) Hac habenarum adductione & remissione quid aliud demonstratur, quam laudati Principis officium; nempe ut in populos subiectos imperium neque dure nimis & inclementer, neque dissolute & negligenter exercent. Bonus Princeps, inquit Seneca lib. 1. c. 18. de clement. Similis est patri, & ideo *pater patriæ* appellatur: patris autem est in severitate meminisse indulgentiæ, & in indulgentia disciplina. Neque enim minus Principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera, Sed hac de re nos alibi non uno in loco.

II. (b) *Æolo* similis est quilibet vir sapiens, qui novit moderari affectibus pro opportunitate, & negotiorum presentium: nunc enim conducit simulare iram, nunc dissimulare; sicut *Æolus* ventos retinet & emittit, uti libuerit. Quid autem est præclarior & laude dignior, quam sic in potestate habere permotiones animi, præsertim appetitionis irascentis, ut ad rationis legem & moderamen, velut in antro claudantur, rursusque, si necesse sit, temperato freno laxentur? Quisquis ita sibi imperare didicit, nã ego hunc potentior *Æolo* dixerim,

----- Cui Divum pater, atque hominum Rex

Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Appositè huc Tullius. 1. *Offic.* Objurgationes etiam nonnunquam incidunt necessaria, in quibus utendum est fortasse & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. Id tamen sic agendum est, ut ne ea facere videamur irati. Ad hanc rem etiam Salomon Prov. 16. *Spiritus ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* Quasi diceret: Quis tanto robore & fortitudine præditus est, ut ventosum iracundie spiritum sub freno cohibere possit, ne subito erumpat, & obvia quæque turbine perfleret? Ducta similitudo à ventis: scimus autem, iratos naribus

(a) Laudati Principis officium. (b) Vir sapiens, & affectuum suorum dominus.